



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 3. De Euxini quantitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

*Terium NIGRVM mare*, meminit huius vocis Appianus in Mitrid. Cuius coloris causam alij referunt in profunditatem, alij in aërem illic caliginosum. Hoc tamen negat Aristoteles dum querit in Problematis, quare *Euxinus sit Ægeo candidior*.

*Quartum CAVCASIVM* apud Apollonium lib. 4. quoniam inquit Iornandes in Gothicis in illum Cauensus mons excurrit ad rupem *Marpesiam*.

Reliqua nomina eius sunt *Scythicum*, & *Sarmaticum*, Ouidio & Valerio: *Amazonium* Claudio: *Cymmerium* Herodoto: *Ponticum* Plutarcho & Tacito: *Tauricum* Auieno: *Colchicum* Straboni: *Phasianum* Aristidi: *Tanaïs* Gothis apud Procopium. Vide *Theſaurum* Ortelij.

### §. 2. De origine huius Maris.

*QVIDAM* eius maris aquas ex Oceano per Fretum Gaditanum accersebant ut suprà monuimus. Nunc querimus tantum vtrum Ægæum ex Ponto, an Pontus ex Ægeo existat.

Quod *Ægæum sit origo Ponti*, putant Dionysius, Mela, Macrobius, aliique apud Eustathium: Strabo autem inconstanter locutus est.

Quod *Pontus aquis sufficiat Ægeo* antiquior opinio fuit, & ve-  
rior: sic enim censuit Herodotus, & eam sequitur Petrus Gillius  
in suo Bosphoro, testis *ων τόπους*. Ratio est, quia leuiora ut paleæ  
& ligna ex Ponto defluunt in Propontidem. Quam causam dum  
refundit Macrobius 7. Saturn. cap. 12. in aquam fluminum super-  
natantem Euxino, & in Ægæum influentem, se profitetur impe-  
ritum Philosophiae. Rectè ergo apud Scythas *Palus Maeotis* dici-  
tur *Temerinda* hoc est Plinio teste *Mater Ponti*. Et apud Eusta-  
thium *Μάρια τύποντες Νυρίξ Ποντί*.

### §. 3. De Euxini quantitate.

Hoc est, quæ sit eius Longitudo, Latitudo, Ambitus, Pro-  
funditas.

*Longitudo*, Herodoto in Melpomene est vndecim millium, &  
centum Stadiorum: licet multa falsa auctor ille supponat nempe  
*μακρότατον* eius esse à ostio Phasis ad Bosphorum. Themistius

Q ij

Euphrada ad sex millia contrahit. Strabo denique ei quinque milia duntaxat, aut paulò plura concedit. Reliquas opiniones vide apud Plinium.

*Latitudo*, penes Herodotum est trium millium, & trecentorum Stadiorum: distinguit Strabo, nam à Byzantio ad ostia Borysthenis tria millia, & octingenta Stadia assignat; versus ortum, quinque millia, aut aliquid amplius; quâ extensione videtur complecti Mæotida.

*Ambitus* apud Polybium est 22. millium Stadiorum, Amm. Marcel. ex Eratosthene & aliis veteribus addit mille Stadia: Strabo Eratostheni duo insuper millia: fuit ergo aut 22. aut 23. aut 25. millium Stadiorum.

*Profunditas* eius secundum antiquos parua; quare *Vadofum* ab Ammiano nominatur. Aristoteles & Polybius aliquando oppendum credidere; quod tamen negat Strabo lib. 1. Fuisse alicubi profundissimum ad locum *Balthea* dictum ex aduerso *Coraxa* gentis afferunt Philosophus 2. Meteor. Plinius lib. 2. cap. 102.

#### §. 4. De Euxini cum Ægæo coniunctione.

CREDIDERE veteres quidquid inter *Byzantium*, & *Thraciam Chersonesum*, iacet solidum alias extitisse: ita Strato quidam. Addit Diodorus lib. 5. labem primò ad *Cyaneas* erupisse, deinde ad *Hellespontum* peruersisse. Plinius lib. 6. cap. 1. Inuisis hoc accidisse terris indicio sunt tot angustiae, & tam parva nature repugnantis internulla. Sed hoc refutat Strabo lib. 1.

#### §. 5. An Euxinus concrescat.

NEGAVIT omnino mare concrescere Macrobius: hoc tamen mare rigere hyeme dixerunt veteres. Ouidius h̄ec exul, quām s̄ep̄e hoc cecinit. Marcellinus lib. 22. huius concretionis causam refundit in dulciores aquas, quas in eo mari agnoscunt Strabo, Plinius, Arrianus, & omnes antiqui. Riguississe autem negari non potest, maximè tempore Copronymi, quando glacies ex summo mari in profundum extitit ad 30. cubitos, & cūm nix superincidisset, iterum ad viginti cubitos, eo modo ut maris æquor litori penè æquaretur.